

Disputatio critica de distinctione "virtuali" inter essentiam et existentiam

Autor(en): **Jansen, J.L.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **13 (1899)**

PDF erstellt am: **10.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761755>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DISPUTATIO CRITICA
DE DISTINCTIONE „*VIRTUALI*“ INTER ESSENTIAM
ET EXISTENTIAM.

Scripsit J. L. Jansen C. SS. R.

—◆—

Inter philosophos, qui essentiam et existentiam in ente creato existenti identicas esse autumant realemque negant earum distinctionem, longe plurimi tamen, quantum scimus, fortiter tenent, virtuales inter eas distinctionem, (seu distinctionem rationis, cuius ipsa res, de qua agitur, fundamentum sit), omnino esse admittendam. Licet igitur in aliqua re creata id quod existit et id, quo seu vi cuius (intrinsicè) existere concipitur, in re identicum inter se esse teneant, conceptus tamen illos, relate ad illam rem, non synonymos esse, sed diversa, saltem inadæquate distincta, de eadem et identica illa entitate prædicare docent. Sive aliis verbis: Licet essentiam illam et existentiam non agnoscant tamquam partes physice constituentes illius rei existentis ut sic, seu in linea existentiae, diversos tamen de eadem re conceptus esse sentiunt.

Laudabile quidem istorum auctorum studium est, quod data opera obiectivum valorem notionum istarum in tuto ponere conantur. Atvero in mentem obrepit dubitatio, permittatne ipsa distinctionis virtualis natura, ut de distinctione inter essentiam et existentiam (seu: inter essentiam individuum in linea reali et eius existentiam) prædicetur. Erit sane operæ pretium inquirere, utrum habitudo, quæ inter fundamentum distinctionis logicæ et ipsius distinctionis membra necessario reperienda est, reperiatur etiam inter essentiam existentem et membra distinctionis eius in essentiam et existentiam, necne. Hoc solum huius articuli materia esto; utrum eruditus Lector, cum forte ipsi patuerit virtuales distinctionem admitti non posse, potius distinctionem pure logicam seu rationis ratiocinantis, quam realem admittere velit,¹ ipsius sapientiæ committimus.

¹ Ad hos videtur pertinere Emin. Card. Franzelin, qui ait: „Est omnino evidens, in re posita extra suas causas in statu actualitatis, ne ratione quidem abstrahi posse formalem existentiam“ (de verbo Incarn. Thesis XXXIV). Cfr. tamen de Deo uno Thesis XXVI, ubi distinctionem rationis non videtur negare; in textu autem modo citato nititur voce „actualitatis“, quæ (ut statim videbimus) ambigua est, sicut vox „realis“.

Primum quidem liceat duo observare.

Alterum est: distinctionem rei in partes, si quae datur, seu partium distinctionem, confundendam non esse cum resolutione rei in partes suas. Distinctio enim, etiam realis, inter partes rei cohaerentiam actualem partium nequaquam tollit; distinctio realis arguit tantum negationem identitatis partium constitutarum entis, circa quod distinctio versatur; ipsam autem rem relinquit, sicut est, eo quod partes, quae membris distinctionis exhibentur, coniunctas relinquit. At resolutio rei in suas partes, si non solo intellectu fiat, destructionem rei, quatenus partibus illis constat, efficeret. Sic quidem „hominem istum“ in animam et corpus resolvimus, quae realiter distinguuntur; atvero resolutio ista solo intellectu fit, secus cessaret „homo“ esse. In omni igitur distinctione, cuius membra partes rei constitutivas et actu cohaerentes repraesentant, resolutio rei in partes istas est tantum logica. Etiam isti igitur auctores, qui distinctionem realem inter essentiam eiusque existentiam admittunt, nunquam pertendent tamen se non solo intellectu, sed etiam realiter essentiam existentem in essentiam et existentiam **resolvere!** Periisset enim eo ipso res atque in nihilum rediisset.¹

Alterum quod observare lubet, est: Ambigua valde est vox haec: essentia realis sive actualis. Potest enim primum significare: essentiam cum existentia sua; eodem modo, quo vox: corpus humanum significare potest: corpus cum anima humana, per quam corpus ipsum tamquam humanum, seu in linea humanitatis constituitur. Si haec vis tribuitur voci realis, neminem sanae mentis admissurum existimo existentiam realiter ab illa reali essentia, sic sumpta, distingui, sicut nec anima ista realiter distinguitur ab homine isto, complete sumpto, utpote intrinsece, una cum corpore, ipsum hominem constituens.² — Sed vox essentiae realis significare potest etiam: istam essentiam individuum, de facto quidem existentem, abstractam tamen a conceptu suae essentiae; cui tamen (essentiae), cum de

¹ Ex quo vides non apte Boedder S. J. (Psychol. rationalis p. 263) ita loqui: „Ad quaestionem, quo sensu intelligamus compositionem illam entium creatorum ex essentia et esse, de qua toties loquitur Angelicus, ex mente eius breviter respondemus: Eam compositionem omnibus entibus creatis tribuimus, quia „unnumquodque eorum **intellectu** resolvitur in id, quod est, et in suum esse““ (De subst. separ. cap. 9 § — Sed si quis diligenter).

² Cfr. Lahousse, Ontol. p. 331. — Talis distinctio posset vocari extrinseca, qualem S. Thomas (?) describit Opusculo 48^o (Ed. Romana 1581) tract. V. cap. III.

facto iam locum in reali linea occupet, nomen „realis“ vi existentiae tribui potest per modum praedicati. Eodem modo corpus istius hominis vere ut corpus considerare possumus, abstractum ab anima, et tamen illud corpus vocare humanum, propter actualement animae informationem; et hoc quidem sensu corpus illud humanum ab ista anima humana realiter distingui dicitur.

Membra distinctionis virtualis posse distingui vel adaequate vel inadaequate, Lectori notum est. Qui inter essentiam atque existentiam distinctionem virtualem ponunt, videntur tantum inadaequatam admittere; quatenus eandem essentiam-existentlem nominant aut mere „essentiam istam“, aut „existentiam istam“, ita tamen, ut conceptus unius membri in conceptum alterius effluat. Ipsa autem essentia existens isti distinctioni fundamenti vice, ex illorum auctorum sententia, fungitur.

Hisce praelibatis ex duabus propositionibus, quae distinctionis virtualis indolem exprimunt, conclusiones circa distinctionem inter essentiam et existentiam in ente existenti ponere conabimur.

I. Conceptus fundamenti alicuius distinctionis virtualis est necessario logice prior quam singuli conceptus membrorum distinctionis.

Etenim distinctio virtualis tantum fit vi cognitionis fundamenti, quatenus scilicet pluribus istis distinctionis membris aequivalet. Sic v. g. notio animae humanae est logice prior notionibus animae vegetativae, an. sensitivae, an. intellectivae, quatenus cogitantur quasi partes istius animae humanae, seu quatenus membra sunt distinctionis virtualis ipsius animae humanae. Sic etiam notio Deitatis est logice prior notionibus divinae sapientiae, divinae bonitatis, divinae misericordiae. Diximus autem supra: singulos conceptus membrorum distinctionis esse posteriores ipso fundamento, et consequenter hic addimus, etiam singula membra distinctionis virtualis reduci posse ad rem, quae fundamentum distinctionis est; v. g. ista anima vegetativa, quatenus membrum distinctionis modo positae est; ista anima vegetativa quam in ista anima humana ab anima sensitiva distinguo, tamen obiective eadem illa humana anima tota est. — Etenim si non singula distinctionis membra, sed tantum simul sumpta ad fundamentum reduci seu pro illo poni possunt, signum est in ipso fundamento adesse partes non identicas, seu realem compositionem, et igitur realem distinctionem; sic v. g. membra distinctionis „hominis“ in animam et corpus

tantum simul sumpta ad „hominem“ reducuntur, seu pro „homine“ poni possunt, sed et realem distinctionem faciunt.¹

Atqui: **conceptus essentiae existentis non est logice prior quam singuli conceptus membrorum distinctionis in: essentiam in linea reali, sed abstractam ab existentia, et existentiam ipsam.**

Dicimus: essentiam . . . abstractam ab existentia. Hanc quippe abstractionem etiam ipsi Auctores, contra quos pugnamus, facere coguntur. Si enim non fieret, iam non esset distinctio virtualis, seu distinctio, quarum membra de eadem re diversa praedicata enuntiant, sed esset distinctio pure logica, cuius membra synonyma sunt. Sic v. g. si animam humanam dicis virtualiter distingui in animam vegetativam, animam sensitivam et animam intellectivam, in membro, quod exhibet animam vegetativam, abstrahis ab anima sensitiva et intellectiva. Sic etiam ipsi Auctores, qui secus ac nos in hoc puncto sentiunt, cur non admittunt in Deo distinctionem virtualementer inter essentiam eius et existentiam? —

Eo quod, cum ipsum Esse constitutivum Dei sit, essentiam eius, ut est in se, abstracte ab Existentia cogitare non potes. (Sed cfr. quae de hac re dicemus infra.)

Hoc posito, ita demonstramus minorem: Illud est logice prius altero, ad quod alterum reducitur.

Atqui conceptus essentiae individuae in linea reali atque conceptus eius existentiae seorsim sumpti seu singuli reduci non

¹ Observandum hic est eos, qui non admittunt relationem categoricam esse aliquid in natura rerum suo fundamento superadditum, et qui non admittunt subsistentiam extra intellectum aliquid substantiae addere, — non tamen propterea cogi inter fundamentum relationis et ipsam relationem, atque inter substantiam et eius subsistentiam distinctionem tantum virtualementer admittere. Sufficit enim, ut isti auctores statuunt: Quidquid relativum est — (et ad hoc etiam subsistentiam simpliciter pertinere existimo, cum sit id, quo substantia sui iuris est, id quo sibi permittitur —) esse tantum aliquid in ordine ideali sive manifestativo; qui quidem ordo idealis ab ordine reali extrinsece vere et realiter distinguitur. (Cfr. opusc. 48 inter opusc. S. Thomae, praecipue tract. V. cap. II. ubi statuitur: relatio differt a suo fundamento realitate extrinseca solum.) Eatenus igitur relatio differt a fundamento, quatenus a re differt idea de re, idea quidem quae se adhuc ultra rem extendit, ut opusc. cit. l. c. dicitur; quapropter dicimus: Causa ordinis est intelligens; solus enim intellectus vi pollet ultra rei sphaeram se pro tendendi. Sed etiam patet ex dictis, in hisce quaestionibus de relatione non esse proprie quaestionem de distinctione virtuali. — Existentia autem nequaquam sicut subsistentia simpliciter aliquid relativum est, sed est aliquid in linea absoluta, quamquam relativi aliquid connotet ut actus.

possunt ad conceptum essentiae existentis. — Nam neque conceptus solius essentiae, in linea quidem reali, sed tamen, ut ipsa distinctio virtualis exoptulat, abstracte a sua existentia considerata, neque conceptus solius existentiae reduci potest ad conceptum essentiae existentis. Aequè enim false dicis: Conceptus essentiae (soliùs, abstractae a sua existentia) exhibet obiective essentiam existentem, ac false dicitur: Conceptus existentiae soliùs exhibet obiective essentiam existentem. — In casibus vero, in quibus nemine diffidente distinctio virtualis occurrit, ut supra ostensum est, vere singulum distinctionis membrum exhibet obiective totam rem circa quam versatur distinctio, et singulum membrum proprio et stricto sensu de re ista praedicari potest.

Ergo conceptus essentiae existentis non est logice prior quam singuli conceptus membrorum distinctionis eius.

E contra, in conceptu essentiae existentis essentia ista et eius existentia sunt partes entis existentis, in linea existendi saltem logice (ut adversarii volunt) compositi.

Atqui, compositum logicum logice posterius est suis componentibus. Ergo **essentiae existentis conceptus nequit esse fundamentum distinctionis virtualis**, quia non esset logice prior suis membris dividendis.

II. Conceptus membrorum distinctionis virtualis nequeunt contrarie positive opponi.

Etenim illa, quae repraesentantur per membra distinctionis virtualis, debent in re, circa quam distinctio versatur, identica esse. — Atqui quae identica sunt, nequeunt per conceptus positive contrarios exhiberi, quia contraria sunt ea, quae entitate sua inter se pugnant. Unde videmus membra distinctionum, quae ab omnibus pro distinctionibus virtualibus habentur, inter se tantum negative, non positive opponi. V. g. anima sensitiva quatenus in ista anima humana ab anima vegetativa et anima intellectiva distinguitur, est quidem opposita animae vegetativae quatenus non habet illud, quod illa habet; attamen non pugnant inter se, sed potius quae tales disparatae sunt; idem dicendum de attributis Dei.

Neque huic opponi potest, multa esse, in quibus distinguantur potentia et actus, — quae certe contrarie inter se opponuntur — et tamen virtualiter solum in ea distinguantur, ita ut id, quod per „actum“, et id quod per „potentiam“ exhibetur, obiective tamen identicum sit. V. g. facultas intellectiva

praebet fundamentum distinguendi eam in potentiam et actum, seu in potentiam et actum virtualiter distinguitur, quatenus est actus essentiae animae superadditus, et simul potentia, relate ad actum intelligendi quem recipit et elicit. Idem dici potest de forma, quae relate ad materiam est actus, relate ad accidens superveniens est potentia.

Huic oppositioni facile satisfiet observando notiones potentiae et actus, quatenus in istis exemplis et similibus occurrunt, non exprimere entitates seu partes intrinsecas, saltem logicas, entis, sed tantum respectus transcendentales, quae non componunt rem, ne logice quidem, ut distinctio virtualis expostulat, sed tantum exhibent ea, quae ipsam entitatem consequuntur. Quapropter per talem distinctionem non circa ipsam rem distinctio fit, seu non ipse intellectus ille, non ipsa forma illa (quae tamquam exempla adducta sunt) virtualiter distinguitur, sed tantum ipsi respectus, qui quum ex diverso fonte s. termino oriantur, proprie non opponuntur, et simul esse possunt in eodem subiecto, iuxta adagium: „Relatio non habet contrarium.“ — Ad obiectionem igitur respondemus, in illis casibus 1) non haberi distinctionem virtualem circa ipsam rem, de qua tunc quaestio est; 2) si haberetur, membra distinctionis non esse contraria. Observandum igitur est, tunc solum potentiam et actum contraria esse, quando primario exhibent entitates in aliqua linea, seu entis partes (saltem logicas) in illa linea, licet aliquid relativi connotent; potentia et actus autem, quae in casibus allatis nominabantur, mere respectus sunt.

Atqui: Conceptus essentiae individuae in linea quidem reali, sed abstractae ab existentia sua, — et conceptus istius existentiae positive contrarie opponuntur.

In linea enim reali essentia illa se habet ad existentiam, — prout utraque haec sumuntur in sua ratione formali — ut potentia ad actum. „Essentia realis, ita ipse Lahousse, qui nostrae doctrinae adversatur (Praelect. Log. et Ontol. p. 333.), concipitur tamquam potentia, cuius actus metaphysicus est existentia.“ Atqui — conceptus potentiae et actus non tantum sunt, ut auctor modo laudatus inquit, „formaliter diversi“, sed sub sua ratione formali accepti, sunt contrarii, siquidem potentiae notio privationem actus exhibet; seu: siquidem notio essentiae in linea reali, sed seorsim a sua existentia consideratae privationem existentiae exhibet; sicut corpus humanum, seorsim consideratum ab anima, vi cuius de facto humanum est, privationem seu exclusionem animae ex sua entitate designat.

Ergo: — sit conclusio unica utriusque argumenti: **inter essentiam individuum in linea reali, atque eius existentiam non potest esse distinctio virtualis.**

Adhuc tamen manet obiectio specietenus gravissima. — Et enim: Nonne inter ipsius Dei essentiam atque existentiam admittenda est distinctio virtualis? — Quae si admittenda est, sequitur argumenta nostra nimium probasse, et ergo nihil.

Quaestioni modo positae nimis quidem absolute respondet Lahousse (Praelect. log. et ontol. p. 329.): „Inter essentiam divinam et eius existentiam nullam dari distinctionem, ne rationis quidem, omnes fatentur, et in theologia naturali probatur.“ Sunt enim omnino, qui secus sentiant, atque pro se aperta S. Thomae adducant testimonia.¹

Nobis distinguendum videtur. Aliud enim est loqui de Deo, ut est Esse in se absolutum, aliud de Eo loqui, prout mere tamquam existens consideratur, seu quatenus per ratiocinationem ex existentia contingentium cognoscimus, Ipsi praedicatum existentiae competere. — Si de illa, quam priori loco indicavimus, cognitione Dei agitur, a. v. si ipsum constitutivum Dei assignandum est, concedo equidem inter obiectivam essentiam et existentiam eius nec virtuale discrimen esse; Dei enim esse prout in fine pervestigationis nostrae attingitur, invenitur a nobis tamquam eminentissimum aliquod Esse, quod supra conceptus nostros essentiae aut existentiae, quos ex rebus creatis abstraximus, immense attollitur et quocum essentiae et existentiae istius conceptus nihil commune habent. In linea igitur Esse divini, ut sic considerati, nihil distinctionis esse potest; promiscue ibi essentia et existentia poni possunt, cum altera alterius notionem perfecte et adaequate includat, (quod quidem dici nequit de attributis divinis).

Atvero aliter loquendum est, si sermo sit de conceptu Dei altero valde imperfecto, qui subiectum est illius propositionis: „„Deus realiter existit,““ quatenus per hanc propositionem solum factum eius existentiae indicare volumus, prout illud factum ex facto existentiae rerum contingentium cognoscitur. In hac enim propositione subiectum „Deus“ nequaquam constitutivum Dei aut eius essentiam proprie exhibet, sed tantum divinam substantiam indicat sive indigitat, quin proprie sciamus qualis sit. In praedicando igitur existentiam de illo, illam praedicamus, sicut ipsam ex creaturis cognovimus, dempto tamen eo, quod existentia

¹ Cfr. hunc ipsum, in quo scribimus, librum periodicum, Jahrbuch für Philos. u. spekulat. Theologie. t. VI. p. 335.

creaturae imperfectionis involvit, et solum relicto quod habet perfectionis; i. e. praedicamus tunc existentiam de Deo non ut actum, qui aliquam potentiam compleat, sed tamquam merum attributum, sicut sapientiam et bonitatem. Talis autem obscura cognitio — quae quidem id, quod Deus est, nobis nequaquam manifestat, sed, ut diximus, Deum mere indicat seu indigitat, quamdiu non per penitioem cognitionem corrigitur et completur, virtualis distinctionis inter Deum et existentiam eius fundamentum est, quod quidem a nullo philosopho iure negari posse existimo; secus enim haec propositio: Deus existit esset propositio etiam quoad nos per se nota; quod hodie iam nemo catholicus admittat.

Licet autem distinctionem virtuales inter essentiam Dei eiusque existentiam hoc tantum sensu a nobis exposito admittamus, nequaquam argumentorum nostrorum perit efficacia. Sensus enim iste est, quod existentia, in ista imperfecta cognitione, se habet ad Deum, sicut attributum aut qualitas non intrinsece constitutiva; atqui si hoc sensu sumatur existentia se non habet contrarie ad conceptum essentiae Dei; — neque enim tunc proprie et specificè divinam existentiam exhibet —; ergo cum argumento nostro nequaquam haec nostra pugnat concessio.



ZUR NEUESTEN PHILOSOPHISCHEN LITTERATUR.

Von Dr. M. GLOSSNER.



1. Philosophie, Metaphysik und Einzelforschung. Von Hedwig Bender. Leipzig 1897. 2. Dr. M. Wentscher, Über den Pessimismus und seine Wurzeln. Bonn 1897. 3. Vom Sein. Abrifs der Ontologie. V. Dr. C. Braig. Freiburg i. B. 1896. 4. Institutiones Psychologicae sec. princip. S. Thomae Aqu. Accommod. Tilm. Pesch. Friburgi Brisg. 1896. 5. Der Grundgedanke der Cartesianischen Philosophie. Von Prof. Dr. Otten. Freib. i. B. 1896. 6. Allgemeine Erziehungslehre für kath. Lehrer- und Lehrerinnenanstalten. Bearb. von Rud. Hafsmann. Paderborn 1895.

Standpunkt und Grundgedanke der an erster Stelle genannten Schrift (1. H. Bender, Philos., Metaphysik und Einzelforschung), deren entschiedener Ton und präzise